



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rosa In Hieme

Mertz, Martin

Antverpiæ, 1627

Capvt VIII. Corporis grata forma, & fragrantia post mortem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42750

CAPVT VIII.

*Corporis grata forma, & fragrantia
post mortem.*

DEFUNCTI WILHELMI corpus, non vt aliorum assolent, fœdæ formæ horribilisve aspectus fuit: sed facies antea ob summam mortificationis vim ac grauitatem assiduè subpallida, hîc velut virginea, non ad horam vnam alteramve dumtaxat, sed in sepulchrû vsque, visum fuit pulchrè rubescere: os non diductum, sed elegantius viuo dispositum: oculi non horridi, sed viuidi, pellucidi & iucundi: tota corporis ac imprimis faciei compositio tam venusta, tamque decora ac grata, vt quotquot ad eum ingressi essent, viuere illum ac melius quàm vîquam affectum esse certò æstimarent, nisi defunctum alij assererent. Nullum porrò vel minimû fœtorem corpus tam diuturno & lento morbo malè conflictatum profundebat; sed miram fragrantiam, ac suprâ quàm dici possit suauem ex se efflabat odorem: quem multi cum magna animi admiratione ac dulcedine se percepisse testati sunt, vt mihi vnus ex Patribus retulit, mea adhuc ætate superstes.

CA.